

From C.W. F. Walch, *Monimenta medii aevi* fasc. 2 (Gottingen, 1758), 28-50

[p. 28] Matthaei Roederi theologi Parisiensis  
oratio in concilio Constantiensi die 30 Decembris MCCCCXIII habita

[p. 29] Secundum suam misericordiam saluos nos fecit, Tit. I. scribuntur haec verba, quae recitantur, in epistola praesentis dominicae, secundum usum ordinarium ecclesiae Parisiensis.

Vereor utique, reverendissimi reverendique in Christo patres, et domini praesentissimi, ceterique conscripti patres, doctores, magistri, venerandi, et alii domini venerabiles, et sacrum concilium: vereor, inquam, ne viribus impar opus impositum sua mole me premat, me mihi sub fasce ruendum potius quam leuandum sit. Ne propterea palpitantis ineptia linguae, et sermonis incomiti barbaries, huius celeberrimi coetus delicatas aures offendat, et hoc sacrum auditorium in fastidum vertat. Tu clementissima virgo, quae non solum vocata ades sed etiam non vocata praesto es, ait Bernhardus in quodam sermone:

[p. 30] In cuius ventis thalamo sibi summa parauit. Hospitium deitas, tunicam sibi textuit ipse. Filius artificis summae nostraeque salutis. Inducit ipse togam nostro vestitus amictu. Tu repara calamum, purga rubigine linguam. Da blaesam tua verba loqui, mutaue loquelam praebo, etc. ait Alanus, in suo Anticlaudio. Da, quaeso, prudentissima virgo, sermonem rectum et bene sonantem in os meum, ut mecum sis et mecumlabores. Quod ut agas, optima virgo, iam ecce recurrimus ad chorum gratiae tuae, in auxilio opportuno, salutantes cum angelo voce pia: ave Maria, gratia plena.

Secundum suam misericordiam saluos nos fecit: ubi prius extitit allegatum.

Naturae creatae sapientissimus architectus, altissimus creator, omnipotens rex, potens et metuendus nimis Dei Filius gloriosus, faber avrarius, admirandus artifex huius mundialis machinae, fabricator eximius orbicularem huius mundianae civitatis, structuram ex nihilo condidit universam. Cuius specialis providentiae cura totum regitur universum, totumque suis circumclaudit legibus horizontem, qui denique rationalem creaturam ad suae deitatis plasmavit effigiem, et ad suam imaginem et similitudinem insigniuit, quam super alias creaturas singularis dominii, praesidentia [p. 31] sublimavit, et gratiarum ac virtutum donis comitacione largiflua dotavit, ut suae bonitatis participatione et beneficio potiretur, et eleuaretur in cognitionem et amorem deificae trinitatis, patris, omnipotentissimae maiestatis, Filii sapientissimae veritatis, et Spiritus Sancti, clementissimae bonitatis.

Porro Dei Filius, de coelo prospiciens, humanum genus, protoplastorum spontanea praeuaricatione collapsum, a summo coelorum cardine delegatus, mox a regalibus sedibus altissimae deitatis egrediens, ante luciferum, et ante secula natus aeternaliter ex utero paternali, nobis a sacro tempore nasci voluit temporaliter ex utero maternali, ut Filius unigenitus Dei patris fieret Filius primogenitus hominis matris, per quem salutaria mundo remedia contulit universo, dum, pio miseratus affectu, compatiens, lapsum nostrum clementissime reparavit et refecit: qui secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Venit itaque coelestis medicus e longinquo nostram sanare miseriam, dum supra plagam nostrae sanandae mieraie posuit emplastrum suae largiendae misericordiae, ut nostra miseria sua misericordia compensetur et sanetur.

Sic itaque benignitas et humanitas nostri saluatoris apparuit, qui nos secundum iustitiam damnare potuit, sed noluit, imo secundum suam misericordiam saluos nos fecit. **[p. 32]** Per lauacrum, ait, regenerationis, quoad poenitentiam, saluos nos fecit secundum suam misericordiam, nos quidem ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, inquit.

Praeterea ille magnus gentium doctor apostolus immediate verbis praeassumpti thematis interiecit: secundum suam misericordiam etc. quod fuit thema. In quibus verbis duo principaliter annotantur: actus magnificus eminentissimae charitatis: saluos nos fecit. Unde scriptum est: saluum faciet populum suum a peccatis eorum. Matth. I. Secundo notatus modus gratificus clementissimae pietatis: secundum suam misericordiam. Unde, suscepimus misericordiam tuam in medio templi tui. Ps. XLVII. Ex quibus palam concluditur, hoc, quod apostolus mox subiecit: secundum suam misericordiam saluos nos fecit.

Praetermissa curiositate subdivisionum et allegationum, causa brevitatis, hanc Filii Dei misericordiam copiosam cum omni gratiarum actione contemplandam suscepimus, per quam fuit praetereuntis imo pereuntis seculi generali Synodo sibi reparare et reformare dignaretur ecclesiam.

Praeterea iuxta subiectam materiam ac rerum qualitatem in hoc sacro concilio gerendarum, praecipue de militantis ecclesiae necessaria reformatione, et de pertinentibus ad eandem, in quibus huius sacratissima Synoditota **[p. 33]** versatur intentio, sermo nobis aptandus est. quem duplici consideratione perstringam.

Prima suadebit universalis ecclesiae generalem ac necessariam reformationem.

Secunda perorabit ipsius ecclesiae capitis ac membrorum mutuam innicem spectabilem et ordinatam compaginationem. Ut absque monstruosa deformitate suorum ecclesia gaudeat integritate membrorum, ne fiat acephala, vel quomodo libet imperfecta.

Restat ergo primam adgredi considerationem, in qua de pertinentibus ad corporis ecclesiae mystici generalem reformationem, puta de schismatis huius tam execrabilis exterminatione, haeresium et errorum extirpatione, ac virtutum superinductione, promiscua deductione loquendum est.

Coelestis igitur altitudo concilii, cunctorum ineffabili certidune praescia futurorum, cuius incomprehensibilia sunt iudicia et investigabiles viae eius, sic ut ait apostolus, occultae suae deitatis arcano, culpus hominum exigentibus ecclesiam, Christi sponsam, sub iugo tam horrendae tamque miserandae servitutis huius schismaticae divisionis oppressam, ter denos et octo fere per annos ita languere, languidamque torqueri, tortam flagellari, flagellatamque denique lacerari permisit, patienter expectans, ut tam vehementis doloris **[p. 34]** acerbitas, et tam gravis ac diuturna vexatio passionis, eidem ecclesiae penitus aegrotanti tribuat intellectum. Quo tam crebis agitata molestiis ipsa poeniteat et resurgat, quo redeat et resiliat, quo denique recollectis viribus respiscat, intelligens ac inquirens Deum, ut coelestem festinet ad medicum ac pudendi languoris, praestet medicinam, spe salutis, quo rursus recuperandae sanitatis beneficium astequatur, et mera gratia optatae conalescentiae sospitatem. In arduis enim languaribus dat crebo consilium vis doloris, et in desperatis rebus est plerumque magistra necessitas. Ut urgente vehementia passionis inueniat ipsa sibi passio medicinam, ut ait Chrysostomus, quo postremo ecclesiam sponsam paterna castigatione flagellatam sponsus ipse sibi conciliet et a iugo tam crudelis ac tyrannicae captivitatis emancipet, ac pro miseratione restituat, reformet, ad pristinum dignitatis honorem et ampliorem suae gratiae libertatem.

Cum itaque militantis ecclesiae reformatio nil aliud esse putandum sit, quam ipsius, iam diu morbida vitiorum labefactione deformis pariter et difformis, in pristinam virtutum formam reductio, quam decens et opportuna, quam expediens et necessaria sit ipsius militantis ecclesiae reformatio, palam satis est mundo, palam clero, palam denique toti populo Christiano. Clamat hoc coelum, clamant [p. 35] elementa, clamat quotidie pereuntium animarum ad sidera sanguis effusus. Cum quibus et iam lapides ipsi clamare coguntur.

Quemadmodum ergo, ut agriculturae peritia tradit, iuxta Georgica Virgiliana, colonus ipse, dum durescentes agros ac purganda novalia curans, spinis et vepribus evellendis insistit, priusquam frugifera semina terrae mandet. Ita profecto parilitatis ecclesiae prius exstirpanda sunt vitia, quam inserendae virtutes, iuxta sententiam philosophi, ne praepostero ordine, sub tribulis ac sentibus vitiorum suffocanda, virtutum semina iaciantur.

Sane reverendissimi patres ac domini praestantissimi, diebus nostris in ecclesia Dei, proscripto primordialis virtutum exercitu, pro dolor omnium pene vitiorum turba successit. Dum in omni statu, gradu et ordine, virorum ecclesiasticorum, ecclesiastica periit disciplina. Dum ecclesiasticus quisque, suae vocationis metas impune transgrediens, ad altiora prorsus sibi indebita, laxatis intemperantiae frenis, erigitur opportune, et ad sublimia dignitatum culmina, quae sibi non congruunt, arbitrio propriae temeritatis aspirare contendit.

Hinc pro dolor effrenata cupiditas et ambitiosa dominandi libido portentuosum hoc pertinax ac ferlae monstrum schismatica divisionis. [p. 36] in templum militantis ecclesiae damnabiliter introduxit. Proinde cessat virtus, turbatur ecclesia, populus errat, daemon regnat, Simon dominatur, quod metricè sic habetur:

Virtus, ecclesia, populus, daemon, simonia,

Cessat, turbatur, errat, regnat, dominatur.

Iam, pro dolor! in clummiis et aerumnis assiduis plurima laborum ac dolorum amaritudine respersa est ecclesia, variisque dissidiorum ac bellorum machinamentis impulsam colliditur, et collapsa crebris molestiarum iusultibus ac iacturae dispensiis agitatur. Turbatur acerbius, ac vehementius anxietur, dum filiorum suorum, quos lactis sui poculo suaviter enutriuit et educauit alumnos, debitae sibi fidelitatis experitur apocopam. Quod gemebunda lamentatione deplorans ait: filios enutriui et exaltaui, ipsi autem spreuerunt me, Esa. I. Non est enim, qui eam sustentet ex omnibus filiis, quos genuit, et non est, qui apprehendat manum eius, ex omnibus filiis, quos enutriuit, Esa. LI. Rursum exclamans ait: quis mihi tribuat, ut sim iuxta menses pristinos, secundum dies, quibus custodiebat me Deus, quando omnipotens erat mecum, sicut fui in diebus adolescentiae meae! deplorat ecclesia, Christi sponsa, iam proveniens ad annos decrepitae senectutis, quae dudum tempore primitiuo suae florentissime iuventutis, et elegantissimae venustatis, adeo [p. 37] parata, velut sponsa ornata viro suo, foecundissimae generationi spiritualium filiorum per fidem, cuiusmodi fuerunt apostoli, martyres, et alii sancti doctores et patres, iugiter intendebat, quorum tam pia tamque felici sanctitudine regebatur, quod in ea nemo, nisi qui melior et sanctior, potuit esse maior, cum fiebant lignei claices et aurei sacerdotes.

Sed res ista, pro dolor! in contrarium versa est. Nam cum olim mater ecclesia absque doloris anxietate, sed cum delectatione peperisset egregios et spectabiles filios adoptiuos, nunc vero quasi sterilis effecta vipereos concopit filios, quos non sine

gravissimo dolore utique ruptura parturit abortiuos. Et haec generatio perversa est, et infideles filii, Deuter. XXXII. Venerunt enim filii ad partum et virtus non erat parturiendi, Esa. XXXVII. Et sicut, quae concipit, cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis, Esa. XXVI. Sic mulier ista, dum parit hodie, tristitiam habet. Quemadmodum enim virgo beata coelitus impreaegnata concipiens in Spiritu Sancto dolorem in parturiendo non pertulit, sed enixa cum ingentis gaudii delectatione, Filium peperit, aluit et nutrit. Sic olim suo modo mater ecclesia, Christi sponsa, Spiritus Sancti gratia foecundata, spiritualium delectabatur in partu filiorum. Sed moderno tempore formidandum est, ne Sancti **[p. 38]** Spiritus obumbratio procul ab ecclesiae foecunditate discesserit, dum eius nutu vel inspiratione vix in ecclesia praelatus quispiam assumitur, vocatus a Deo tamquam Aaron. Sed aliunde, quodam carnalitatibus affectu, concipiens, prece, pretio vel obsquio, non quidem leditimam prolem, sed adulterinos filios abominabiles et monstruosos, simoniacos, et omni venalitate corruptos, hodie parit ecclesia, quaerentes ab homine dueatum et a rege cathedram honoris. Tales enim filios in utero habens ecclesia, cruciatur, ut pariat, Apocal. XII. Dum praesertim inuicem in eius utero colliduntur, Genes. XXV. Colliduntur enim in utero matris ecclesiae schismatici, contententes, ac simoniacae prauitatis actores, qui more viperino viscera matris in partu lacerant et discerpunt.

Laceratam quippe videmus ecclesiam, matrem nostram, proh dolor! his diebus, quibus humiliati sumus, et annis, quibus vidimus mala, dum pene totius ordinis ecclesiastici hierarchia, prorsus a sua primaeva generositate degenerans, omnia coelestium contemplatione virtutum, ad intelligendum divinae sublimitatis arcana, iam caduca temporalium commoda pro caelestibus amplexatur. Tam incuruatum est nimis ecclesiae dorsum ad temporalitates, et appodiatur innixa baculo arundineo potentiae laicalis, labens terram **[p. 39]** sursum et caelum deorsum, dum postpositis caelestibus, insatiabili terrenorum aviditate cuncta sibi congerit omne mercimonium et in quaestum. Sic enim bobus aratum antefertur, dum spiritualibus temporalia praeponuntur. Hodie vitiorum monstra venerantur homines in terris, et per immoderatos ambitionis et avaritiae quaestus, propriae sensualitatis imperio ducti, voluptates in rectis virtutibus insequuntur. Qui vacantes otiosis quadam bestiali sensualitate et sensuali bestialitate brutescunt, similes facti iumentis insipientibus: dum illicite licite abutentes, nihil ad licitum sed ad libitum omnia facientes, cuncta sibi licere, suae voluntatis arbitrariae detestandae temeritate praesumere non verentur. Nihilominus tamen ut plurimum tales sublimantur honoribus, iucundantur divitiis, affluunt deliciis, ac postremo totius congratulationis humanae gloria prosperantur, et quibus nec literarum scientia, nec morum honestas aut virtutum merita suffragantur, per Simoniacae prauitatis abusum ad illicitam dignitatem ac praelaturarum promotiones aspirant. Quilibet praesse magis quam prodesse gloriatur. Qui utimam tam vigiles essent ad curam, quam alacres currunt ad cathedram: ait Bernhardus.

O ergo radix omnium malorum cupiditas, quam quidem apperentes errauerunt a **[p. 40]** fide et inseruerunt se doloribus multis I. Timoth. VI. Hanc enim appetentes ecclesiastici, plures errauerunt a fide per simoniam, et inseruerunt se doloribus multis per ambitionem, quae tamquam virulenta pestis et veluti cancer ubique serpit, et totum fere corpus ecclesiae toxicauit. Hoc itaque genus pestis b. Bernhardus ad Eugenium Lib. III. detestatur, ita dicens: o ambitio ambitionum crux, qualiter omnes torquens omnibus placet. Nil acerbius cruciat, nihil molestius inquietat, nihil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis eius. Et paulo post sequitur: hoc inquietum et inquietans malum

sequitur. An non apostolorum limina, plus ambitio quam devotio terit? an non vocibus eius totale seu papale resultat palatium? an non quaestibus eius tota legum canonumque disciplina insudat? an non spoliis rursus omnis Italica, aliter simoniaca, inhiat inexplicabili aviditate rapacitas: ait Bernhardus, ac si diceret, utique sic. Et idem libro IV. Vide, inquit, omnem ecclesiasticum zelum feruere pro dignitate tuenda? Honori totum datur, sanctitati vero nihil aut parum. Haec ille. Circuit itaque sedulus explorator, scilicet frequentat curias, visitat appetiantes, ceruicem pronus inclinatur, salutatur et resalutat, simulat et dissimulat, sequitur et obsequitur, pedibus ac manibus reptat, si quem possit ingerere in patrimonium [p. 41] crucifixi, notat idem Bernhardus in quodam sermone, quemadmodum enim, ut ait Seneca, mel muscae sequuntur, et cadauera lupi, sic isti praedam sequuntur, non hominem. Haec ille.

Tanta siquidem est imprudentia nonnullorum ecclesiasticorum, ut manifestae ambitionis et simoniae prurigne tota scateat facies eorum. Non enim fuit, qui reconderet acutas frontes. Ideo magis induruerunt. Propterea plena est ambitionis ecclesia. Non est iam, qui non haereat in studiis et molitionibus ambitionis et simoniae plus, quam spelunca latronum in spoliis viatorum. Haec Bernhardus ad Eugenium L. I.

Cui satis alludit Salustius, recitans dictum Catonis: inter bonos et malos, inquit, discrimen nullum. Omnium enim virtutum praemia ambitio possidet. Haec ille.

Cur itaque plaga recens dolore non careat, mirari non sussiciunt homines sapientes. Qui si mirantur, non miror, miror si non mirantur, qualiter hanc plagam mortiseram horreni schismatis, totum corpus ecclesiae lethali vulnere sauciantem, pia Christianorum religio tot annorum lustris, neglecta quadam et improba dissimulatione, durare et indurare permiserit, nisi quod, ait Bernhardus in quodam sermone, videtur in te, bone Iesu, Christianorum universitas coniurasse. Et illi in [p. 42] persecutione tua primi sunt, qui in ecclesia tua videntur gerere principatum. Processu nempe temporum obduruit ista plaga, cuius obducta callosa durities cauteriantem candentis ferri laminam exigit miserandam, quo simul exeat sanies cum dolore.

Vestrum est itaque, reverendissimi Patres, hanc turgidam atque pestiferam sanare plagam, et quae prius leuioribus curari non potuit, acerbioris opus est adhibere medelam, et aduersus futura schismata, ne contingant, circumspectionis et industriae sagacitate debitam prouidere cautelam et alioquo modo ne patiantur talem secula cladem.

Exsurgat igitur huius sacri concilii synodalis auctoritas aduersus hoc schisma nefarium, aduersus haereses, et praesertim aduersus impudentiam hanc pestiferam, dico simoniacae prauitatis abusum, quatenus a templo militantis ecclesiae tam execrabilem nummulariorum fordidam et obscoenam prorsus studeat eliminare spurcitiā. Christi saluatoris ad instar, qui templum sanctae trinitatis ingrediens, omnes vendentes et ementes eiecit a templo mensasque nummulariorum et cathedras vendentium columbas, euerit, ne sua domus orationis fieret domus negotiationis et spelunca latronum, Matth. XXI. Nunsquam enim aduersus aliud genus humanum fuisse legimus dominum sic offensum, qui, ut ait [p. 43] Bernhardus libro I. ad Eugenium: non parat aures, ut audiat, sed flagellum, quo feriat, non sedet ut discutiatur, sed insequitur, ut puriat. Causam tamen non dissimulat, videlicet, quod huius negotiatores domum orationis domum negotiationis fecissent et speluncam latronum. Haec Bernhardus ibidem.

Humiliandum ergo nobis est quantocius sub manu potenti Dei, ne flagello suo de templo triumphantis ecclesiae nos eiiciat et expellat. Formidandaque nobis plurimum comminationis divinae tonitrua, dum dicit Esaias, qui non tam propheta, quam

evangelista dicendus est. In omnibus his nos est aversus suror Domini, sed manus eius extensa est Esa. V. X. Nam teste b. Gregorio in homilia: quamvis lentis passibus incedat divina vindicta tamen tarditatem grauitate compensat.

Eia ergo, conscripti Patres, ac paternarum legum legitimi elatores, quorum instantia est sollicitudo omnium ecclesiarum, secundum apostolum vigilanter attendite, primo cum effectu dantes operam efficacem ad ecclesiae, Christi sponsae, debitam reparationem et reformationem, in eo, qui nos clementissime reparauit et refecit, dum secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Et hoc de primo principali.

[p. 44] Subsequitur inde consideratio longe breuior, et est finis, quantum scilicet ad capitum et membrorum inuicem in corpore mystico ecclesiae debitam compaginacionem, per veram sanctam et canonicam electionem. Unde iuxta doctrinam Dionysii, quemadmodum in ecclesia triumphante sub triplici hierarchia nouem sunt ordines dispositi, ordo sub ordine, et omnes sub uno capite, quod est Christus. Sic diuina sapientia militantes ecclesiae ordinem in terris voluit exemplari sub uno ministeriali capite, quod est papa. Iob. XXXV. Num quid nosti ordinem coeli, et pones rationem eius in terra, ut scilicet ecclesiasticae hierarchiae omnes gradus praelationum et principatum in ecclesia militanti sub uno capite collocentur, et illi, qui est Christi vicarius et Petri successor, prorsus obedient et subdantur. Qui in ecclesia militanti non modo omnium, sed etiam pastoris pastor unicus et supremus existat, ceteri vero pastores inferiores singuli singulas fortiti sunt plebes in partem sollicitudinis: hic autem in plenitudinem potestatis vocatus est, quam euangelio docente potestatis plenitudinem a Christo Petrum pro se et successoribus suis legitime intransibit accepisse, credendum est. Sed quo pacto? quaeuis plane, fateor, ad legitimum usum, ut nequaquam prosileat in abusum. Non ergo est haec limitanda potestas, [p. 45] ut limitetur usus, sed ut restringatur abusus, cum papa debeat esse, potestate potens, Christus, ut ait Bernhardus ad Eugenium L. II.

Est ergo recursus ad sacrum concilium ut libera et canonica electione, de summo pastore facienda, provisio fiat.

Non quidem per corruptam ambitionem, qua Iason ab Antiocho rege per pecuniam summum sacerdotium obtinuisse legitur II. Maccab. IV. Nec per usurpationem, quemadmodum Usias rex sibi voluit usurpare sacerdotium 2. Paral. XXVI. Nec per carnis cognationem, ut habetur Iudic. XVII. Nec per simonacam promissionem, ante factam vel post factam, prece, pretio vel obsequio, sicut de Simone mago, Actor. VIII. Nec postremo per collusiones, aut fictas et occultae machinationes, aut per mutuas, votorum fabricationes et reciprocationes, utputa, qui se ipsos eligere nequeunt, alios nominent et ab aliis eligantur.

Sed electores provideant, Dominum in conspectu suo habentes, et absque personarum acceptione, quae non est apud Deum, et absque pudore, favore vel odio, patriae vel cuiuscumque nationis aut personsae, illum in summum pontificem eligant et pastorem, in quo plura signa deiformitatis apparere conspiciunt, ut, qui iudicatur melior. Unde scriptum est: eligite meliorem et ponite eum [p. 46] super solium David patris sui, pugnare pro domo Domini, scilicet ecclesia militante 4. Reg. X.

Meliorem itaque dixerim, scilicet vita, regiminis industria, etiam si non sit literatior in scientia, sed in conscientia purior. Ne prorsus illam incidatis in parabolam, quod tigna siluarum nequaquam sibi sicum aut vitem, etiam nec oliuam, sed ramnum elegerunt in regem, et egressus est ignis de ramno et deuorauit cedros Libani I. Iud. IX.

Remnus enim arbustum seu arbuscula quaedam, spinarum et aculeorum densitate complexa, quae, teste Iosepho, ventorum agitatione succinditur, in ignem emittens se ipsam, alias arbores et syluam totam incendit. Unde postquam intelligent spinae vestrae ramnum, sic in ira absorbet eos, ait psalmus. Sic profecto praelatus reprobus et peruersus, igne furoris, libidinis et avaritiae succensus, se ipsum ceterosque praelatos et ecclesias destruit, ac subditos suos prauis moribus et exemplo incendit. Dum enim superbit impius, incenditur pauper. In psalmo.

Provideat ergo Dominus hominem, qui sit super multitudinem hanc etc cum sit populus Domini, sicut oues absque patore, Num. XXVII.

Eia ergo, reverendissimi patres et domini praestantissimi, illum, obsecro duxeritis [p. 47] ecclesiae Dei praeficiendum, quem oportet esse dominum episcoporum. Sed unum ex illis, virum heroicum, virtutum spectaculo dignum, formam iustitiae, sanctimoniae speculum, refugium oppressorum, pauperum aduocatum et iudicem videuarum, ultorem criminum, virgam potentum et malleum tyrannorum, legum moderatorem et canonum dispensatorem, sacerdotem altissimi, vicarium Christi et Christum domini, ut ait Bernhardus, quem postea oportet esse irreprehensibilem, sobrium, prudentem, ornatum, hospitalem, modestum, non litigiosum, non cupidum, sed testimonium habentem bonum ab his, qui foris sunt iuxta doctrinam apostoli I. Timoth. III. quo tandem huiusmodi summum pastorem, ad instar vitae sanctitatis exemplum, accipiant ecclesiae pastores, et praelati vivendi formam audeant imitari. O si talium daretur copia virorum, ait Bernhardus: quid hoc seculo iucundius quidue felicius esse posset? Et paulo post sequitur: putas sore, quod dicitur vel creditur? putas hic sumus ut haec sunt, quis dat vivere, ut videre contingat. O si viderem in vita mea ecclesiam Dei talibus innixam columnis. O si Domini mei sponsam cernerem tantae commissam fidei, tantae creditam puritati! quid me beatius, quid me felicius esse postet. Cum eiusmodi circa me vitae meae custodes aspicerem simul et testes, [p. 48] quibus omnia secreta mea committerem, quorum me fides et sanctitas ad quaeque sancta et honesta et amabilia prouocarent. Haec ille ad Eugenium L. IV.

O felices vos reverendissimi patres et domini, si diebus vestris aurea secula reviviscant, ut per vestras operas essicaces, auxiliante Domino, merueritis in ecclesia Dei pacem super Israel. Tunc plane beati oculi, qui videbunt ea, quae videbitis, multi namque reges et sacerdotes voluerunt videre, et non viderunt, notatur Luc. X.

Vos itaque, reverendissimi Patres, qui estis lux mundi, stellarum decor, ac praefulgida luminaria firmamenti super hemisphaerium horizontis, vos iubar coeli, vos cardines verbi et orbis, super quos Deus posuit orbem, vos et alii sacri pontifices, ecclesiarum principes, seculi iudices, apostolorum heredes et legitimi successores, militantis ecclesiae milites gloriosi, iam adversus hostes ipsius ecclesiae praepotentes, supernae virtutis opitulatiuae claros adepti triumphos, eiulanti succurrite matri, non tam viribus, quam virtutibus, insistentes adversus haereses et errores et universalis ecclesiae turbatores. Vobis enim huius militiae primus debetur aggressus, propterea confestim spiritualia conuoletis ad arma, necesse est, quia fortius bellorum duces quam milites impetrantur. Totum enim pondus proelii versum [p. 49] est in Saul. I. Reg. ultimo. Deuicto namque belli duce, sacile triumphantur exercitus.

Denique vobis segura spei longanimitate certandum est. Nihil enim bello maiorem praestare solet audaciam, quam sperare victoriam et salutem. Ut discatis hoc spirituale bello pacem quaerer gloriosam.

Habetis enim Dei gratia ducem et campi ductorem, scilicet serenissimum principem, dominum Sigismundum, Romanorum etc regem semper Augustum, inuictissimum ecclesiae pugilem, athletam fortissimum et defensorem, sine cuius regali providentia velut impossibile foret ecclesiae pacem dare, cuius laus in fines terrae a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, cuius praeconia famae totum praedicanda per orbem, gloria cuius erit nullum moritura per aevum. Sed magis aeternum extendet per secula nomen.

Cum itaque sitis in Spiritu Sancto legitime congregati, vobis legitime certandum est. Numquam enim coronabitur, nisi qui legitime certauerit, 2. Timoth. II. Dominus enim vobiscum, tamquam bellator fortis, ipso testante, qui ait: quoties duo vel tres fuerint in nomine meo, scilicet in nomine saluatoris et ecclesiae suae salutis, ego in medio eorum sum. Si ergo Dominus pro vobis, qui contra vos?

**[p. 50]** Vestris ergo in manibus commissa est Christianae militiae pugna. Cunftantur haereses et errores, formentur mores, et cedant falsa dogmata catholicae, tollantur simoniaca prauitatis abusus.

Non in contentione et aemulatione ait apostolus, ubi enim zelus et contentio, ibi et inconstantia, et omne opus prauum, Iacob. III. Sed obseruantes unitatem in vinculo pacis.

Hae nisi legitime fiant, ipse clerus et populus Christianus, zelum regis habentes ad aethera sursum vociferari cogentur illud, I. Maccab. II. Testes erunt super nos coelum et terra quia iniuste perditis nos. Verum quoniam non est abbreviata manus Domini ut saluare nequeat, Esa. LIX. Quantumcumque frendeat mundus, ut saeviat hostis antiquus, praeualere non poterunt adversus ecelesiam adversariae potestas, quia portae inferi non praeualebunt adversus eam, ut pro finali concordia dicere valeamus cum psalmista : saluos nos fac, Domine Deus noster, et congrega nos de nationibus, ut confiteamur nomine Sancto tuo, et gloriemur in laude tua, gloriemur, inquam, illa gloria quae non deficit, gloria, quae non transit, Cuius gloriae nos participes efficit ipse Dei Filius, benedictus in secula seculorum amen.